

sceleratos, occidunt. 2. Huius de morte vt palam factum est, mirabiliter vulgi mutata est voluntas. Nam, qui viuum eum *tyrannum* vocitarant, eundem *liberatore* patriae tyrannique *expulso*rem praedicabant. Sic subito misericordia odio successerat, vt eum suo sanguine, si possent, ab Acheronte cuperent redimere. 3. Itaque ² in vrbe, celeberrimo loco, elatus publice, sepulcri monumento donatus est. Diem obiit circiter annos quinquaginta quinque natus; quartum post annum, quam ex Peloponneso in Siciliam redierat.

XI. IPHICRATES

CAPVT I.

1. ¹ **I**PHICRATES ATHENIENSIS non tam
 magnitudine rerum gestarum, quam discipli-
 K 4 na

² *In vrbe celeberrimo loco elatus publice, sepulcri monumento donatus est*] Parum doctam Bosii, et meam distinctionem vocat Heusingerus. [scil. in ed. Bosiana et mai. Stauer. interpungitur — *elatus, publice sepulcri* etc.] sed an doctus habendus is sit, qui puerilia docet, et ab ipso iam indicata Bosio, secure meas et aliorum notas describens, aliorum iudicium esto. Distinguendus locus hoc modo est *in vrbe celeberrimo loco, elatus publice, sepulcri monumento donatus est*. De hoc monumento altum est apud Plutarchum silentium. *Stauer. Publice* h. e. publico sumtu, comitantibus magistratibus a-
 liisque hominibus. v. ad III. 3, 3. *Harl.*
¹ *Iphicrates*] Vocatur Timothei filius. V. Pausan. L. IX. cap. 14. p. 739. sed iste locus Bosio suspectus est. Sane si Timotheus fuit pater Iphicratis, Nepos cap. 3. in Timotheo non potuisset Menestheum, Iphicratis filium, vocare generum Timothei. De genere eius multa Vlpian. ad Demosthenem citatus a cl. West. L. XV. Diodori cap. 44. Sutoris creditur fuisse filius: vide Suidam; ideoque a suis despectus. Ipse fassus est, suum genus a se incipere, id est, sese primum genus suum illustrasse. v. Plut. in Apophth. pag 186. 187. vt iam recte obseruat Bo-